

PUNCTUM IV.

Finis. Finis visitandi hominem : nempe ut ei specialim illa conferat , ob quæ mortalis venit in mundum. Itaque venit : 1. Ut Salvator , quò pretium sui sanguinis mihi communicet : 2. Ut medicus , ad tollendas ægri tudines per opportuna pharmaca : 3. Ut magister , ad instruendum et illuminandum : 4. Ut sacerdos , per hoc sacramentum applicaturus mihi fructum sui cruenti sacrificii : 5. Sicut nutrix , ut lactet me suâ dulcedine , pacis osculum præbeat , sibi que adstringat amplexu caritatis , impleaturque il-
Cant. 1. 1. lud Sponsæ desiderium : *Osculetur me osculo oris sui.* Sed et alia similia licet cogitare , quòd veniat ut pastor me requirens , ut defensor ad protegendum , ut ignis ad purificandum , et accendendum cor meum caritate.

Propria egestas. Post hæc , vel potiùs inter hæc , dum singulas causas considero veniendi , vicissim necessitatem meam conferam : veluti quàm indignam Salvatore , medico , magistro , et reliquis. Hinc partim admirabor dignationem Dei , partim vota inflammata concipiam fruendi tam multiplici bono. Admirabor : nam quid opus erat ob eos fines sic se demittere ? Elias et Elissæus super defuncti pueri membra seipsos contraxerunt , membra membris jungentes , ut illum ad vitam revocarent. Sic se Dominus majestatis in panis particulam restringit , ut vitam mihi reddat : et poterat id solo nutu facere. Quandò autem venire ipse

vult ad sanandum me , quò satis exardescam in illius desiderium ? Dicam : *Excita potentiam tuam , et veni , ut salvum me facias. Utinam dirumperes cælos , et descenderes : à facie tuâ montes defluerent ; elata corda amore liquescerent. Rorate , cæli , desuper , et nubes pluunt Justum.* Hisce et similibus sententiis me accendam cupiditate participandi divina mysteria , in ipso puncto maxime communionis : nam hic cibus , quò prosit , quàm avidissimè capiendus est. Sed et contemplatione tantæ puritatis et sanctitatis , ò velim purior esse astris ! Certè dabo operam ut me , à præcedenti communionum die , ita mente et corpore custodiam , ut in nullâ re vel levissimâ delinquam ; ut , sicut à mediâ nocte jejunos esse ab omni cibo et potu debeo , ita sim à culpâ jejunos.

Oratio. Ps. 79. 3. et Isa. 64. 1.

Id. 45. 8.

Puritas suuentis.

MEDITATIO XXXIV.

De spirituati Communione.

SERVIT hæc communio præparationi , 1. ad communionem sacramentalem ; deinde audiendæ missæ fructu : nam sicut sacerdos celebrans offert sacrificium in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis , ad propitiationem peccatorum pro vivis , et defunctis , et ad impetranda nova dona , tum sibi , tum aliis , totique Ecclesiæ , ita audiens missam potest ad eosdem fines Deo offerre quod ibi peragitur. Item , sicut celebrans consumit sacramen-

Communionis spiritalis ad quid.

taliter oblationem, ita audiens potest spiritualiter manducare, et participare de oblati per actus internos fidei, spei, et caritatis, dicente Domino:

Joan. 6. *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriat; et qui credit in me, non sitiet in æternum.*

PUNCTUM I.

Actus fidei. 4. Columnarum. Exercenda viva fides circa hoc sacramentum, quæ quatuor nititur quasi columnis: *Sapientiâ Dei*, quæ valet invenire modos ineffabiles communicandi se mortalibus; *bonitate*, quæ propendet ad se communicandum; *omnipotentiâ*, quæ potest quicquid vult; *denique veritate*, quæ mentiri non potest. Revelavit autem nobis, in hoc sacramento se verè tradere seipsum in cibum ac potum.

His nixa fides, renuntiansque sensibus, firmiter credit verè et realiter sub illis speciebus contineri Christum Dominum, verum Deum et hominem, cum omni gloria, quam in Cælo habet; et sicut ibi divinitatis suæ conspectu, et præsentia humanitatis satiat, beatque sanctos, ita in isto sacramento repleri bonis animas esurientium. Expediens fuerit, ad actuandum magis hanc fidem, percurrere perfectiones divinas Christi sigillatim; tum etiam humanas, et quæ egit tulitque propter nos; eliciendo actus fidei circa singulas, quòd hæc lateat ille immensus, omnipotens, etc., et ille pro me natus, passus, etc., sit ille medicus, magister, etc., qualia in præcedenti meditatione fuerunt indicata.

Profitebor quoque me ita certò credere, ac si Professio. præsentem Christum oculis cernerem; nec secus gaudere de hæc latente ipsius præsentia, proque istâ dignatione æquè gratias agere.

PUNCTUM II.

Actus Spei. Excitanda certa spes percipiendi fructus promissos participantibus hoc sacramentum, si vel solo desiderio illud sumam; quales sunt: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; et *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, vivet propter me.* Nam potentia Dei non est alligata sacramentis, quin similes effectus conferre possit et velit, præsertim desiderantibus eos ardentè; cùm præcipuè non est opportunum sumere ipsum sacramentum, votoque saltem sumitur. Quare dicam cum centurione: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo et sanabitur anima mea*; et cum piâ muliere: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus, salva ero.*

Centurio. *Quòd si aspectus ænei serpentis sanabat saucios, Serpens. quidni aspectus fidei in Salvatore mundi multò magis animam sanet? Si sola umbra Petri curabat omnes, utiquè et devota memoria hujus divini sacramenti, quæ plus est quàm umbra.*

PUNCTUM III.

Caritatis
actus. Exercenti sunt actus caritatis, quibus unimur Deo; et conveniunt huic maximè sacramento quod est unionis. Amabo igitur illas perfectiones Dei, quæ imprimis elucet in isto sacramento: bonitatem, caritatem, potentiam, liberalitatem; vicissim optans me ipsi liberalem exhibere. Cupiam Deo inhærere perfectè, et sine intermissione, ejusque similitudinem vivam per virtutum actiones in me exprimere, ac potissimum per idem cum Deo velle et nolle. Velim ex animo, ut omnes Christum in hoc sacramento agnoscant, et venerentur, atque divitias in eo latentes participant, gratias agentes et benedictes Deo pro tam eximio dono. Offeram me totum Deo, qui cum in omnibus suis operibus mirabilis sit, in isto etiam summè amabilis. Proponam igitur amare illum ex toto corde, mente, animà, fortitudine et viribus; tum quia per seipsum dignissimus est, et omni amore major; tum ob tam eximia beneficia, quibus prævenit nos.

MEDITATIO XXXV.

Gratiarum actio post Communionem.

MAGNI refert benè uti illo tempore, quo apud nos Christus demoratur post sumptam Eucharistiam. Nam et tunc habet locum Christi ipsius dictum:

Quandiu sum in mundo, lux sum mundi; et illud Ecclesiastici consilium: Non defrauderis à die bono, et Eccli. 14. particula boni doni non te prætereat. Joan. 9. 5. 14.

PUNCTUM I.

Excitanda primùm est fides ardentior præsentiae Christi, et quòd ille talis, et tantus jam mihi adsit. Quia verò rex non venit absque comitatu, me circum angelis vallatum intuebor; et percussus tantæ majestatis reverentiâ, confundar apud me ipsum; dicamque Domino cum sancto Petro: *Exi à me*, Luc. 5. 8. c. 1. 43. quia homo peccator sum; vel cum Elizabethâ: *Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me?* et illud: *Quid est homo, quòd memor es ejus?* et, *O Domine*, Psal. 8. 5. Psal. 8. 2. Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum! Atque isti humilitatis et reverentiæ sunt affectus. Deinde excitabo affectus gratiarum; vel cum seraphim et cherubim qui incessabili voce proclamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, hoc Isa. 6. 3. est, exercituum, sive virtutum; vel cum pueris Hebræorum: *Hosanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini; Hosanna in altissimis*; vel cum tribus pueris in fornace, invitabo omnes creaturas: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate et Dan. 3. 57. superexaltate eum in secula.* Licebit etiam sigillatim invitare ad laudandum Deum novem choros angelorum, tum singulos sanctorum choros, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum Invitatio sancto- rum.

confessorum, sacerdotum, virginum, viduarum, sanctorumque omnium.

Animæ. Quin meas ipsas potentias animæ, internas externasque provocabo ad glorificandum Deum. Vos oculi mei, quibus datum est cernere in hoc sacratissimo velamine Dominum majestatis; tu lingua, labia, palatum, pectus, quæ tactu illius sanctificamini; tu mens, voluntas, memoria, quas reficit hoc celeste manna: *Et omnia quæ intra me sunt, benedicite Domino, qui est laudabilis et gloriosus in secula.*

PUNCTUM II.

Unio cum Christo per amorem. Post affectus submissionis et tantæ laudis, me conferam ad hauriendum fructum ex Christi præsentia. Ac primò, per amorem arcè illum complectar cum Sponsâ: *Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Neque mors, neque vita..., neque creatura alia poterit me separare à caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino meo:*

Miseriæ explicatio. Deindè, effundam in conspectu ejus orationem meam et tribulationem meam ante ipsum pronuntiabo, sigillatim exponens necessitates meas spirituales, et vitia, à quibus maximè impugnor, et postulans ab eo remedium, qui medicus est; lumen à magistro, auxilium à potente; et ut impleatur in me illud ad Luc. 19. *Zachæum: Quia hodie huic domui salus à Deo facta est.* Gen. 32. 26. *Urgebo autem instanter, ac velut Jacob cum eo luctans: Non dimittam, nisi benedixerit mihi.*

PUNCTUM

PUNCTUM III.

Convenit tanto hospiti munus aliquod offerre. Ille quidem dicit: *Sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cænabo cum ipso, et ipse mecum.* Quare videtur nam expetere. Ille quidem sua secum infert fercula, quibus animam pascat, delicias spirituales: sed et pasci vult à nobis. Apponam ergo ipsi quod futurum est ei gratissimum; in primis cor meum, quod et petit: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Imò, Domine, libens offero; accipe; et quia tuum erit, fac ne deinceps quidquam in illud subrepat, quod alienum sit à te. Sed et corpus meum offero, *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: cupiens mortificationem tuam, bone Jesu! in corpore meo circumferre, et ibi me præcipuè mortificare, unde maximè impugnor.*

Præter has spirituales dapes, è re fuerit Christum ipsum in pauperibus pascere, si facultas sub- sit. Religiosus autem vota sua paupertatis, castitatis et obedientiæ opportunè renovabit. Sed et aliquid peculiare offeram eo die perficiendum; quem in affectibus pietatis traducam, implens illud: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur; et: Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus; et: In fortitudine cibi istius ambulabo usque ad montem Dei Horeb.* Orabo tandem, ut postquam, con- sumptis sacris speciebus, corporalem suam præsen-

DEPONT. Compend. I.

1

tiam subtraxerit, peculiari tamen protectione suâ non me unquam destituat, assiduam mihi suî ipsius memoriam jugiter ingerendo.

MEDITATIO XXXVI.

De Purgatorio.

Scopus. SCOPUS hujus meditationis est excitare eos qui in viâ purgativâ sunt, ad opera satisfactoria pro peccatis suis suscipienda: et verò etiam, ut miserti animarum purgatorii, eas suffragiis sublevare velint.

PUNCTUM I.

Purgatorium ad quid? Quòd Deus constituerit, ut homo quicumque mortalis peccati reus, etiam post deletam culpam et æternam pœnam condonatum, debitor maneat subeundi aliquam satisfactionem temporariam; quam si in præsentî vitâ non exsolverit, persolvat post mortem, priusquàm ad gloriam beatorum admittatur. Atque ad eam rem destinavit Deus locum in inferioribus terræ partibus, quò anima à proprio angelo deducitur purganda. Circa hanc fidei veritatem suspiciam primùm justitiam Dei, qui quamvis liberaliter remittit culpam pœnamque æternam, tamen non relinquit prorsùs peccatum impunitum. Undè etiam, in ipso sacramento Pœnitentiæ, voluit satisfactionem aliquam injungi à sacerdote pro delicti modo.

Justitia Dei.

Jac. 2. 13. Verùm superexaltat misericordia judicium; siquidem

De Purgatorio.

lòco tantorum et sempiternorum suppliciorum, ad correctionem nostram, temporali contentus est animadversione. Cooperabor igitur divinæ justitiæ, et libenter à meipso pœnas exigam, quas ille constituit; parùm putans quod in hâc vitâ perpetior, pro debitis in alterâ peccato meo æternis cruciatibus.

Deinde expendam, quòd si minùs nunc exsolvero debitum istud, erit mihi luendum post mortem, quando divina id justitia postulat, et nemo, nisi planè omni debito solutus, atque purgatus in cœlum admittitur. Atque utinam modò ità viverem, ut nihil postea repurgandum superesset!

Puritas necessaria.

Prætereà considerabo, quòd non solùm reliquæ peccatorum mortalium exsolvendæ sint, verùm etiam venialium, et quotidianarum culparum reatus, nisi pœnis voluntariis in hâc vitâ tollatur, erit in alterâ per ignem expiandus; sicut dicit Apostolus: Et salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Ex quâ re colligam quantoperè Deus omne peccatum detestetur, quando neque justos et amicos suos, ob leves culpas, ad conspectum suum admittit, sed in dirum carcerem priùs macerandos, expurgandosque detrudit.

Venialia tollenda.

1 Cor. 3. 15.

PUNCTUM II.

Quòd in purgatorio est pœna damni, dilatio mirum visionis beatificæ. Hanc animæ justæ graviter sentiunt, postquam à corpore solutæ purius intelligunt quantum sit illud bonum, quo adhuc carent. Unde spes quæ differtur, affligit animam. Deinde ca-

Pœnæ damni causæ.

Prop. 13. 12.